



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 158. Dissidia Imperatorem inter & Nationem Gallicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV. A. C. 1415. viam seligere liceret. Itali hoc sententiarum dissidium in rem suam vertere fastagunt, spe freti, inde mox secuturam animorum quoque diffensionem inter ambas illas Nationes, quæ eorum studiis adversabantur. Hinc Vivariensem, sancti Marci, Cameracensem, & de salutis Cardinales ad Gallicam Nationem deputant, qui eam a Germanis atque Anglis saltem quoad duos articulos abstrahere conarentur, scilicet. I. Ne Papa per seipsum cessionem facere cogeretur, II. ut decretum jam abhinc uno Mense conditum de sententia in Sessionibus publicis per Nationes ferenda revocaretur. Imperator re comperta necessarium esse duxit, Nationem Gallicam simul cum Germanis atque Anglis convocare, illisque libellum exhibere, quo Papa cessionis suæ Procuratores constituere, & Synodo non abscedere juberetur. Verum inde magna exarsit contentio, compluribus ægerrime ferentibus, quod Sigismundus in hac Congregatione cum Germanis & Anglis super hisce articulis deliberare præsumeret.

§. CLVIII.

Dissidia Imperatorem inter & Nationem Gallicam.

Cum natio Gallica exponeret, æquitatis

tis legibus consonum esse, ut Galli, cum reliquæ Nationes remotis ceteris suis hucusque iniissent consultationes, pari quoque jure gauderent, Germani atque Angli illico a confesso discesserunt; cum autem Galli insuper Cæsareos quoque Deputatos abesse, neminemque præter Imperatorem eorum conventui adesse velent, Sigismundus non parum indignatus ex confesso excessit, commotiori voce dicens: Nunc tandem Ecclesiæ unioni, atque Imperii salutis bene affecti dignosci possunt. Cardinalis quoque Cameracensis his verbis minas intentari suspicatus, cum aliis quatuor Cardinalibus pariter Deputatis recessit. Paucis tamen post diebus Legati Franciæ ad hanc discordiam opportune terminandam adveniant. Hi enim, cum ad alloquium admitti peterent, Regis sui nomine vix non eadem, quæ Imperator urgebat, puncta exhibuere, scilicet, ne Synodus dissolveretur, aut alio transferretur, nec Papa ulatenus ab ea discederet; Procuratores vero ad perficienda cessionis acta a Patribus denominarentur. Hæc Regis voluntas tantum valuit, ut Galli denuo Germanis atque Anglis sese unirent, & una omnes Imperatorem hortarentur, ut Joannem Papam ad Procuratores, prout ab eo petitum fuerat, constituendos auctoritate sua compelleret.

§. CLIX.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.*Vander
Hardt tom.
2. p. 257.*